

166. *Erineum populinum*: cupulare immersum; spadiceum; filis grumosis subobsoletis.

Hab. non infrequens in foliis aridis *Populi Tremulae*, superficies folii prona sparsim bullatim prominet, subtus hinc cupulae ad instar impressa, in quibus cavitatibus fungilli nidulantur. Huic speciei singulare est, quod *fila* non distincta apparent, sed e particulis grumosis duriusculis constat, hanc ob causam & propter singularem crescendi morem facile ab aliis speciebus distingui potest. Color opacus sordide spadiceus.

R U S S U L A.

Pileus carnosus, ut plurimum depressus; *Lamella* longitudine aequales.

* *Pileo rubello.*

167. *Russula rosea*: pileo sublevi, planiusculo, roseo, lamellis stipiteque albis.

Agaricus sanguineus, pileo amene roseo, margine pallidiore, lamellis niveis, stipite crasso niveo, roseo-rubello. *Batsch. Elench. fung. icon.*

Hab. autumnum in pinetis & faginetis; dantur & aliae subsimiles, adhuc extricandae, pileo colore albidiore aut obscuriore margine diverso, stipite plus minusve rubro, nec non sapore vario.

168. *Russula emetica*: acris, pileo depresso, margine sulcato obscure rubro, lamellis stipiteque candidis.

Var. β. pileo-stipiteque rubro.

Agaricus emeticus. Schaff. Fung. Bavar. Tab. XV.

Provenit frequens in sylvis. Secundum alios fungorum scrutatores colore consimilis adest species *mitis*,